

humanitatis charactere sigillando , quam deinde non vitiosa quoque digestio ac maturatio , siue conceptio, sequi non potuit.

Hanc vero Archei deviationem commode arcessere possumus a CAVSA MEDIATA PROXIMIORI, contagie seminali imperfecta , vel illata, vel concepta, siue vaporem ad Harueii , siue humorem, ad Galeniconrum mentem, vitiosum hic accusemus simul , res eodem fere recidit , non enim τὸ οὐνού, vel πίστον, sed τὸ πότιον hic spectandum, alterutrius coniugis culpa accidente.

Vti enim conceptio s. n. fit contagii seminalis, i.e. spiritus illius penetrantis , peculiari fermento insigniti, quem γόνη virilis halat, beneficio , dum is feruente genitalium pruritu in aruum muliebre , non minore, sed tamen familiari ac harmonica eundem suscipiendi vredine pollens , effusus , non totum modo vterum perfundit vndique; sed & ad ouarium delatus in ouo inibi contento quiddam coagulationi seu concretioni simile patrat, ipsumque ad secessum ab ouario disponit; ita simile quid , sed præternaturale hoc casu fit.

Non laudabimus hic, mercurium fumo Saturni coagulari , & quæ laudant nonnulli experimenta alia, optimam analogiam, in alio genere licet, possumus concipere oui subuentanei exemplo, vbi præsto sunt albumen & vitellus nutritioni nulli destinata, sed sine charactere vitali , non prolificæ.

Satis est, deficere in conceptu hoc spurio ideas formatrices , quibus diuinum generationis opus absolvitur, vnde velut affectatum opus , iners manet ac frustraneum ; indeque congesta rudi mole non hominem sed